



in sepulchro habebant, non omnino diffiteri, licet paulisper subdubitem, attamen, etiamsi vera esse largiar, anne quaeſo, haec admodum rara et prodigiosa praefumere debemus? Nullo fane modo. Nam praefumtiones ab iis, quae plerumque euenire solent, non de exemplis admodum rarissimis, depromuntur. Possibile forsitan, si ob dignum vindice nodum Deus subueniat, vetulam parere et obstetricum manibus se **S A R A M** submittere, neque tamen ea quae fieri possunt, sed quae fieri solent, nempe probabilia nobis in vita et legibus ferendis proponimus. Anne operae pretium, propter rarissima quaedam exempla, quae contra naturam euenerunt, legem scribere: ut tremulis totisque in baculum pronis nuptias, in sua iam occidua aetate, inire liceat? Hoc nulla ratione crediderim, cum parum a ridiculo absit de his, quae in seculo integro vix semel accidunt, iura constituere. *L. 3. ff. de Leg. L. 64. ff. de Reg. iur.* Nam debito coniugali soluendo non plane impares quidem plerosque senes, imo et falaces interdum esse, ex poetarum carminibus et medicorum libris didicimus, non autem foecundos. Nunc autem, postquam **I V S T I N I A N V S** Imperator in *L. 27. C. de nupt.* legem Iuliam et Papiam sustulit, silicerniorum connubia summa cum carminis sacerdotalis *crescite et multiplicamini* profanatione et irrisione contrahi videmus, \*) quod fieri nec possit nec deberet, si omnes, praeter spem et desiderium liberos habendi, contractae nuptiae turpes, atque sobolis procreatio extremus et vnicus matrimonii finis foret.

### §. IX.

*Caput secundum disputacionis incipit et thema probandum debet scribitur.* Non opus est plura in medium proferre, quoniam vel ex his, quae disputauimus, procreationem sobolis non esse vnicum aut supremum matrimonii finem, satis appetet. Accedamus ergo ad secundum nostrae disputationis caput, in quo hominem, qui

\*) Carpzou. Iurisprud. Confist. lib. 2. defin. 13. et Conradi Philip. Hoffmanni Tract. de matrimonio sexagenarii.